



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXVIII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm Syracvsanvm. De  
praesumptione clericorum Catanensium, qui in ecclesia compagis calceati  
incedebant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

pore quo vtile esse crediderit, eum ad peragenda ea ipsa debeat relaxare; quatenus & ipsa de illo possit habere solatium, & ipse salubriter valeat quæ sibi sunt mandata Deo adiuuante peragere: quia necesse est vt indictione subsequenti huc veniat, & subtiliter nos coram positus de cunctis informet.

## EPISTOLA XXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

De præsumptione clericorum Catanensium, qui in ecclesia compagis calceati incedebant.

*Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.*

**E**CCLESIASTICI vigoris ordo confunditur, si aut temere illicita præsumantur, aut impune non concessa tententur. Peruenit itaque ad nos diaconos ecclesiæ Catanensis calceatos compagis procedere præsumpsisse: quod quia nulli hætenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo diaconis ecclesiæ Messanensis, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leuiter attendendus, cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat: & si ita, sicut ad nos peruenit, inuenerit verum esse, vtrum vel a se, vel alicuius hoc auctoritate præsumpserint, nobis subtiliter innotescat; vt, cognita veritate, quid fieri debeat disponamus. Nam si negligenter ea quæ male vsurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus.

*Mense Iunio, indictione prima.*

## EPISTOLA XXIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD EVLOGIUM EPISCOPVM ALEXANDRINVM.

De libris Eusebii, & lignis transmissis.

*Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.*

**V**TILIS semper est docti viri allocutio; quia aut discit audiens quod nescire se nouerat, aut cognoscit, quod est amplius, id quod se & nescisse nesciebat. Qua in re ex